



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Matvrino Almandino. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

tum habeo , vera quare non committam,
 ut qui me opibus, gratia , sapientia antea,
 amore etiam superes. Illa tibi habeas satis,
 huius magnitudinem incredibilem mihi
 dona , eiusque ius relinquere homini animi
 non contemnendi. Paulo antequam hanc
 scriberem , Lapidanus inter deambulan-
 dum ac disputandum more nostro dixit
 Langium primarii vestri vocatu isthuc pro-
 pediem venturum . Vobis multa ante hac
 inuidetam. nunc etiam dolet mihi vestra
 felicitas. Habituri enim estis virum tum
 doctum, quod raro videmus hic , tum san-
 ctum , quod nescio an aliquando. Laboro
 valde sanc de vastitate literarum hic, tamet-
 si mærorem hunc diluit Iacobus Teuius ,
 cuius ingenium & candidum & argutum,
 eloquentia & facilis & subtilis & composi-
 ta , iudicium vero , quale scis a me etiam
 ambitiose exigi in studiis nostris. Vale.

MATVRINO ALMANDINO. XXV.

Cv m ineridic pransi essemus , redditæ
 sunt literæ tuæ , quæ tenuem victimum ,
 orationis suauissimis condimentis com-
 mendarent . nihil mihi videbatur gratius
 fieri posse , quam si tua præsentia fruerer-
 tant

tanti viri, tam humani, ut nihil ad id rei accessionis. Cæterum leniit desiderium elegantia literarum tuarum, quæ quanto infrequentiores sunt, tanto magis excitant animum meum ad eius contubernii memoriam, in quo iacta sunt amicitiae nostræ fundamenta, uti spero, perpetua. Ad eas igitur quam breuissime potero respondebo. Noua Epigrammata mea ad te mitto, addoque quod olim Hieroni Pindarus, *tόκον*, Elegias aliquot, inter quas te ipsum agnoscas, non quemadmodum omnium doctissimus poeta, ut, *Intexti tollunt aulæa Britanni*. Hoc enim seruile est: sed ut illud Imperatorium: *Se quoque principibus*. scis omnia. Quod de Minutio ait, addisque, ut ad eum scribam, equidem ita censeo, neminem omnium hominum plus auctoritate apud me valere, nullam ullius receitioris memoriam mihi commendatam magis. Quare id satis ex officio meo me facturum speravi, si illum pudenter obseruarem tacitus ita, ut virtutem admirarer, libertis meis imitandum proponerem, tanto minus me illi ostentarem larga fortunæ virtutumque omnium ope viro incomparabili. Audes & id dicere, Laconicas, & Græce breues sententias hominis, qui sese in principis viri ami-

110 IVL. CÆS. SCAL. EPIST. XXV
citiam insinuet? Græce ad Senatorem na-
tione Gallum, lingua Romanum, nobilita-
te atque animi magnitudine omnium na-
tionum ciuem. Ego vero quo argumento?
Quis tu, inquiet, qui publica Senatus nego-
tia intempestiuo otio perturbas? Quare siue
illi præconio tuo notus sum, malim tantu-
m credi, quantum me fecisti, quam talem
agnosci, qualis sum: siue ignotus, haud qua-
quam me ita comparabo, ut meo me indi-
cio prodam. Fac illum humanissimum, at
doctissimum tamen, non contemnet me,
non spernet, non illudet, non irridebit, at
tacitus præteribit. Malim equidem nihil ad
me, quam male. Itaque malim abs te nunc
agnosci nihil agenti, quam ab illo mihi ma-
le agenti. Quod si animus eius mihi per-
spectus esset, non committerem, ut qualis
qualis in me est vel mediocris literariæ rei
facultas, qua opera, quo studio, qua diligen-
tia possem, ab illo desideraretur. Tu vero,
mi Almandine, ita velim censeas, ut nihil
mihi gratius tua, quam Græco verbo, quasi
Latinum non haberes, vocas parænesin, ita
nihil difficultius. Volentem itaque laudabis,
inopem inualidumque excusabis. Vale. Cal.
Aprilib.

Tuus Julius.

IULIVS